Noverint universi quod Ego Ffranastus Sagarriga miles ex certa sciencia cum hoc publico instrumento firmiter valituro constituo et ordino meos speciales et generales ac indubitatos
procuratores vos Ffranastum de Vilamonta civem Vicensis domesticum et familiarem meum presentem. Et Petrum Pellicery baiulum meum et pro me in loco seu parrochia de Pontonibus licet absentem
tanquam presentem, videlicet vos dictum Ffranastum de Vilamonta ad firmandum laudandum et concedendum meo nomine universas et singulas vendiciones concessiones ad accapitum seu in em-
phiteosim factas et alias alienaciones factas contractas faciendas et contrahendas et concessas de universis et singulis prediis terris possessionibus bordis mansatis et aliis fundis juribus
bonis et universis et singulis generibus et speciebus jurium meorum et michi pertinencium et que pro me tenentur et tenebuntur in quocumque regno comitatu vel diocesi aut alibi et ubique.
Et si vobis videbitur illo eodem seu consimili precio quo vendentur vel fuerint vendite aut alienate et concesse ad proprium mei retinendum et in comissum petendum et occupandum. Et
jura mea exhigendum et recipiendum fines apochas diffiniciones et albarana de recepto meo nomine faciendum et firmandum. Et pro hiis et singulis agendum et experiendum in judicio et
extra querimonias et retroquerimonias exponendum causas lites et controversias inchoandum movendum et contestandum meo nomine et effectualiter ducendum juramentum calumpnie
et quodlibet aliud genus juramenti prestandum. Et procuratorem unum vel plures substituendum et eos cum vobis videbitur amovendum. Necnon ad predicta et singula dictum Petrum
Pellicery procuratorem meum constituo in locis duntaxat et terminis de Pontonibus de Crexello de Borrassano de Parets et de Sancto Martino de Serra firmandum laudandum et conce-
dendum meo nomine generaliter ut prefertur. Dans et concedens vobis dicto Ffranasco de Vilamonta presenti et dicto Petro Pellicery absenti modo distincto et pretacto plenum posse et
auctoritatem ac speciale et generale mandatum meo nomine agendi predicta et cetera faciendi que et prout ego facere possem si presens essem. Et relevans vos ambos dictos procuratores
meos et substituendos a vobis vel altero vestrum ab omni onere satisdandi fideiubens inde pro vobis et eis, promitto vobis publico notario infrascripto nomine quorum interfuerit legitime stipu-
lanti et recipienti judicio sisti et judicatum solvi cum suis clausulis universis. Et me semper habere ratum gratum et firmum quicquid per vos dictum Ffranastum et Petrum Pellicery vel substi-
tutos a vobis vel altero vestri super predictis ut prefertur fuerit actum sive gestum sub obligacione ac bonorum meorum omnium ypoteca. Per hanc vero procuracionem nolo nec intendo revo-
care procuraciones alias dudum per me factas vobis dicto Ffranasco vel dicto Petro sed eas pono et roboro cum presenti. Actum est hoc Maioricis sextadecima die mensis Marcii anno a
nativitate Domini millesimo ccc° septuagesimo nono. Signum mei Ffranasti Sagarriga militis predicti, qui hec laudo et firmo.

Testes inde sunt Bernardus Ventos portarius domini Regis, Georgius Pragas, Anthonius Dalmacii scriptores et Guillermus Masferdi notarius.

Signum Guillermi Masferdi notarii publici Maioricis qui hec scribi fecit et [illegible] clausit.

Perg. 162

P. 24.

[illegible]